WS 1643

PRO-RECTOR,
Et Senatus Academiæ Marpurgensis, omnium Facultatum Studiosis, S. P. P.

NUper cum in præsentiâ Domini & Rectoris nostri Magnificentißimi, Illustrißimi Celsißimiq; Principis ac Domini, Domini LUDOVICI Hassiæ Landgravii, Comitis in Cattimeliboco, Deciâ, Zigenhainâ, Niddâ, Ysenburgo & Budingâ, &c. Et ejusdem Celsitudinis Domini fratris, Domini GEORGII Iunioris Hassiæ Landgravii, &c. Aliorumq; Comitum & Dominorum, leges & statuta Academiæ hujus publicè prælegerentur, Magnificentissimi nostri Celsitudo pium concipiebat votum & precabatur, ut Academia sit maneatq; officina pietatis, emporium omniũ liberalium artium & scientiarum, & quoddam quasi theatrum bonorum morum. Vos ô cives, votum hoc quotidiè imitamini, & si vos vestramq; salutem amatis, eodem modo orate. Orate autem & simul laborate. Et eò majori ingeniorum impetu laborate, ut assequamini finem studiorum, quæ à tantis Principibus aliisq; Summatibus coli & æstimari videtis. Non vobis ob oculos ponemus Carolum Quartum, Romanorum Imperatorem, qui olim purpuram & diadema cathedræ submittere solebat: Non Carolum V. qui Thucydidem in castris quotidie legebat; qui licet magnitudine Imperii teneri adhuc à studiis abduceretur, attamen reverentiam literarum ubi ubi potuit, propagavit, & Doctores atq; doctos sinceriſſimè amavit: Non Georgium Anhaltinum, qui & optimi Principis & sanctissimi Pastoris famam meretur, qui in cubiculo suo templum Academiam, curiam habuit: Non Henricum Iulium Brunsvicensium Ducem, qui ingenium & doctrinam in numerato habuit, adeò ut quicquid aliis præstat longa cogitatio, illi dederit prima animi intentio: Non alios Hassiæ Principes, Wilhelmum, Mauritium, Philippum aliosq; ; Sed jubemus vos contemplari viva exempla Principum atq; Comitum illorum, quos nuper in Auditorio publico venerati estis, qui generosissimo impetu ruunt in amplexum earundem artium & scientiarum, quas vobis proponimus. Quid cessatis ô juvenes? Sequimini & insistite vestigiis, quæ ab hoc Heroum sanguine pressa videtis. Quid proximâ hyeme publicè vobis proposituri simus, præsens tabella indicat. Vos saltem fideliter orate & laborate. Ita nostris vestrisq; laboribus ex alto benedicet Sacro Sancta Trinitas, cui sit laus honor & gloria. P. P. Calamo festinante Marpurgi XV. Septembr. M DC XLIII.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

Iustus Fevvrbornius, SS. Theol. D. & Professor, in publicis Lectionibus, ξυὼ θεῷ, ostendet. 1. Quòd multi Calviniani, à suæ fidei domesticis, in plurimis religionis Christianæ articulis, longè recedẽtes, ad nostram religionẽ approximent, & propria ipsorum Calvinistarum argumenta, quæ ipsimet pro invictis habuerunt, solidè refutent. 2. Quòd tamen nondũ penitus Calvinissimum ubique deserant, sed eum argutè & speciosè passim tegant. Deinde quæ publicè prælegendo, & ex præmonstratis Calvinistarũ Libris recensendo sic proposuit & exposuit, ea in privato Collegio Theologico Disputatorio & Explicatorio, quod S. Theologię cultorib. promittit, uberiùs explanabit, veritatémq; divinam, prævio S. Scripturæ ductu, adversùs falsas cõtradicẽtium glossas, vindicabit.

Meno Hannekenius, S. Th. D. & Profess. Publicè lectiones in Exodum, privatim Collegia Theologica, Hebraica & Syro-Chaldaica continuabit.

Iohannes Henricus Tonsor, SS. Theol. D. ejusdémq; Professor & Pædagogiarcha sequente semestri S. Scripturæ dicta difficiliora & magis controversa juxta seriem articulorũ fidei auditorib. suis ob oculos proponet, illustrabit & à corruptelis & falsis interpretamentis vindicabit. Addet insuper Collegia Theologica Explicatoria & Disputatoria.

IN FACULTATE JURIDICA.

Iustus Sinolt *cognomento* Schütz, D. Consil. Professor Primarius & Pro-Cãcellarius, præcipuas & hodie scitu necessarias Imperii Romani Constitutiones novellas explicabit. Collegium quoq; de statu Rei Romanæ publicum absolvet.

Iohannes Breidenbach, J. U. D. Illustriss. ac Celsissimi Hassiæ Landgravii GEORGII, &c. Consiliarius & Professor, Mandatorum Cameralium materiam aggredietur.

Iohannes Gualtherus, J. U. D. Consil. & Professor Codicis, in ordinariis suis prælectionibus in Codicem perget.

Johannes Kornmannus, J. U. D. Consil. & Pandectarum Professor p. t. Decanus, in præcipuari, prioris partis Digestorum, Legum interpretatione, publicè progredietur. Privatim autem tam disputatoria quàm explicatoria Collegia ad petitionem studiosorum aperiet.

Gregorius Tulsnerus, U. J. D. Consiliarius & Profess. ordinarius, ex Libro II. Institutionum Imperialium, materiam successionis testamentariæ publicè continuabit: Privatim verò Collegium explicatorium abiq; vet. & Disputatorium, pro studiosorum petitione, rursus aperiet.

IN FACULTATE MEDICA.

Joh. Daniel Horst, D. Med. Pro absolvet expositionem Magnini Mediolanensis; Consultatorium vero Collegium eô, quo cœpit modô, continuabit imposterum.

Johann. Tilemannus, D. & Med. Prof. perget ad Lectiones suas Hyemales, de cognitione corporis Humani, & Anatomicâ, & Pathologicâ: privatim quoq; Collegia instituet, & publicè D. Petræi Dissertationes perlustrabit.

IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

M. Theodorus Victor, Prof. Græc. emeritus, etsi post multos Prof. annos, ab Illustrissimo Principe, Dn. GEORGIO Hassiæ Landgravio, &c. rude donatus, deinceps non legat: Tamen usu sic flagitante, suo etiam loco satis faciet.

M. Conradus Bachmannus, Melsunga-Hessus, ex inferis nuper unà cum Heroe Trojano & longæva sacerdote reversus, septimum librum aggredietur, & post Cajetæ exequias, Æneam ad Solis filiam ducet, ubi non sine admiratione Leones, sues, ursos, lupos aliasque brutorum formas ex hominum facie transmutatas suis Auditoribus monstrabit: Et quæ porrò in divino illo Poemate nobis sese ostendent, non sine studio & gloria persequetur.

M. Caspar Ebel, Log. & Metaphys. Profess. Ordinarius, publicam Compendii Logici plenioris prælectionem continuabit, utrumq; Collegium publicum, benedicente altissimo, absolvet, Collegia privata, explicatoria & disputatoria, Metaphysica & Logica, porrò etiam instituet & in aliis Philosophiæ studiosorum petitis, pro viribus, per hyemem instantem, satisfaciet.

Johan. Balthasar Schuppius, S. Th. Licent. Eloquent. & Hist. Prof. & p. t. Pro-Rector, varios instituet actus publicos Oratorios, privatim verò discendi cupidis nullam denegabit operam.

Johannes Conradus Dieterich. Græcæ Ling. P. *Historicos libros duos sub titulis* Πρὸ & Τωβὶτ *in V. T. Græco extantes*, in eorum gratiam, qui cum pietate *Græca aut Hellenistica* jungere cupiunt, exegesi philologicâ illustrabit. *In Hesiodi* ἔργων καὶ ἡμερῶν *libro primo* ei, quod superstes est figmento planè eleganti & q. fatidico *de ferrei seculi* (quod in nostrum videtur incidisse tempus) *dissidiis, crudelitate, invidia & fraude* τελείαν στιγμὴν imponet. Et tam quoq; omnem defert illis, qui privata efflagitaturi sunt Collegia.

M. Henricus Laurentius Geibelius, Physices Professor ordinarius, in resolvendis quæstionibus jucundis & utilibus, prout hactenus cœpit, in lectionibus publicis perget, privatim pro votis Collegarum Exercitia Explicatoria & Disputatoria bono cum Deo, continuabit.

Balthasar Mentzerus, SS. Theol. D. & Moral. Professor Ordin. publicè perget in Explicatione Quæstionum Moralium. In Collegiis Privatis Ethico-Politicis, Disputatorio & Explicatorio, voluntati studiosorum se accommodabit. Aperiet quoq; Collegium Theologicum.

Jacobus Lebleu, J. U. L. & Linguarum Exoticarum Prof. Ordin. publicè perget in Explicatione Bartæ & Pastoris Fidi. Privatim desiderlis studiosorum satisfaciet.

M. Cunradus Mathias, Philologo-Critices Professor publicus in Alexandri sui ab Alexandro Neapolitani libr. quinto, quem nuper auspicatus fuit, publicé, sic, uti hactenus est solitus, explicando, ξὺν τῷ θεῷ καὶ ταῖς Μούσαις deinceps, porró perget: Privatim verò post professionis suæ Philologo-Critices exercitia, addet & Historico-Poëtica, & si qui ulteriús voluerint, Logica, vel Ethico-Politica etiam.

M. David Christiani, Pomer. Mathemat. P. P. absolutâ *Sphærica* publicè *Globorum*, Cœlestis & Terrestris, *fabricam & usum* mõstrabit, *Theoriam Planetarum & Computum* explicabit, nec non de *triplici Mundi Systemate, Ptolemaico, Copernicæo & Tychonico*, Disputationes publicas instituet: privatim *Collegia Arithmetica, Geometrica, Astronomica, Astrologica & Geographica* aperiet.

MARPURGI, Typis Josephi Dieterici Hampelii, Academiæ Typographi. M D C XLIII.